





73.

MEMORIA  
GREGORII COGNOMENTO  
MAGNI,

IN AUG. GYMNASIO GORL.  
LXIV. RECULTA

MAGISTRIS AC PRÆCEPTORIBUS,  
novos Scholaſticos in Muſarum domi-  
ciliū publico præconio evocantibus,

*Accidente*

CHRISTIANO SCHMIDIO GORL.  
eiusdem Gymnasii Alumno,

V. Id. MART. ANNO O. R.

M. DC. XXX.



GORLICII  
Typis Johannis Rhambæ.



17546

EXIMIÆ INDOLIS, ET SPEI PUERO  
BARTHOLOMÆO,

*Nobilissimi, Prudentissimi & Amplissimi  
VIRI,*

DOMINI BARTHOLOMÆI JACOBI,  
Hæreditarii in Leschwitz/Reipub. Gorlic. IV. Viri  
& Consularis meritissimi, Patroni sui colendi, Fi-  
lio charissimo,

*Sacris Scholasticis iniciato,*

*Gratulatur hac compellatione.*

**S**int licet infesti Musis, eârumq; ministris  
Centauri, nubis genus, & sine pectore vulgus:  
Haud tamen idcirco fido cultore Camenæ  
Orbatæ spretæq; jacent, & honoris egentes.  
Consulis ecce subit soboles penetralia Ludi,  
Et subigenda puer sacrat præcordia Phœbo.  
BARTHOLOMÆE Patris JACOBI chara propago,  
Indolis egregiæ specimen viridi exeris ævo.  
Ex Te nam Patriæ virtutis imago resultans  
Lumina perstringit, Veneris ceu lucidus ignis.  
Vere novo profert quoq; flores maxima tellus,  
Quot volucres, trepidis tranantes nubila pennis,  
Ore melos fundunt nemorum per amœna vireta:  
Tot Tibi, tot studiis precor aspirare secundo  
Successus cursu. Patris ac ceu Patria fulta  
Consiliis viguit, viget, incolumisq; vigebit:  
Sic Tu sis Patriæ (præsens Deus omnia firmat)  
Grande decus quondam, columenq; insigne misellis.  
Ita mei voti est, Puerum Flos, summa caputq;  
Plura Tibi adjicit Deus alto è vertice cœli.  
Vive, vale, & tenues numeros cape fronte serena.

CHRISTIANUS SCHMIDIUS.

¶ ¶

**E**cce iterum (felix quod Rex velit atheris esse)  
GREGORII referunt fasti solemnia festa;  
Festa, quibus Ludi veteri de more Magistri  
Alliciunt parvos Musarum in castra Quirites;  
Ad gustanda sacri primordia lactea verbi,  
Tentandasq; bonas anuis puerilibus artes.

Quis TIBI, summe PARENTS, o & dulcissime JESU,  
Dignas seu verbis seu factis solvere grates  
Aut queat aut tentet meritis pro talibus unquam  
Certè Terrigenum numero comprehendere nemo  
Cuncta potest, quæ littoreis aquantur arenis.

Illa inter tamen hoc longè reor eminet unum:  
Hac quòd ritè tenus patria bonitate ruinas  
Terrificas populorum inter, mundiq; tumultus  
Tranquillà servas nobis in pace Lycéum,  
Conventusq; aliquos bellorum à turbine tutos.

Quām metui, ne fortiè anni inclemencia lapsi  
Inferret damnum! Quippe experientia testis:  
Septima cum novies in se redit orbita solis,  
Mutariq; vices, & res invertere fata:  
Sed Tua nos patrio aspexit clementia vultu.

Sit licet inflictum grave vulnus morte docentis:  
E Ludi medio quem non virtutis egeniem  
Abstulit atra dies, & funere mersit acerbo:  
Attamen Omnipotens solidavit vulneris oram:  
Suffectoq; alio nunc est obducta cicatrix.

Me miserum! quanto cogor meminisse dolore  
Temporis illius: quo dira fremebat Enyo:  
Sed pater Altironans oculis mortalia justis  
Aspiciens, procul hinc inimicum reppulit agmen:  
Mænibus his salvis, Temploq; Scholaq; vigente.

Quare servati laudem fructumq; Lycei  
Hinc canere incipiam: Præsens D E U S annue cæptis,  
Tuq; mihi validas in carmina suffice vires.

Nemo animi est dubius, cui vel semuncia sane  
Mentis inest: quin linguarum cœn commoda magna,  
Et disciplina non laxæ, artisq; Magistri.  
Sic etiam Ludi, qui talia gnaviter urgunt,  
Cœlestisq; Patris præter sanctissima verba,  
Et pietatis opus vera, culumq; probatum,  
Assiduâ tractant operâ inculcantq; labore:  
Cælicolum Regis sint longè maxima dona;  
Dona, quibus totas regiones, oppida, gentes  
Eximio veluti thesauro ditat & ornat.

Ad quodcunq; genus vita tua lumina verte:  
Non facile invenies, quod non ingentia doctis  
Commoda de Ludis capiat, fructusq; sat amplos.  
Vera loquor: mundus cœtius splendore carere  
Vivisici poterit Solis: quam vita Lycei  
Est potis auxilio & solido fundamine egere.

Nonne Euangelii sibi voce I E H O V A cœterum  
Colligit & regnum? totus qua panditur orbis:  
Quà surgit, vasto quà mergitur Oceano Sol,  
Quà spirant Boreæ, quà sevit & humidas Auster:  
Suntq; sacri cœtius signa haud fallacia, purus  
Doctrinae splendor, signorum ususq; sacrorum,  
CHRISTI conveniens verbo per cuncta Magistri.  
Sed mihi tam doctus nemo persuaserit autor,  
Ut fas esse putem, de quavis forte culinâ  
Irruere in Templa, & suggestum ascendere celum:  
Crede mihi officio hoc digni haud aliundè vocantur,  
E doctis quam Gymnasiis sacrisq; Palæstris:  
Qui prius edociti mysteria cœlica & ipsi,  
Rite docere queant alios, verbumq; secare:  
Et veris pondus rationibus addere dictis,

Forti-

Fortiser & tumidos contra pugnare Sophistas.  
Intellectus enim verborum stultus inersus,  
Esse nequit verbum JOVÆ, doctrinaq; viva.  
Hinc primâ à mundi crescentis origine, sacris  
Cætibus assiduè Musæa adjecta fuere:  
Fundari jussit DEUS ipse palatia Musis.  
Quod mandatum imis etiam infixere medullis  
Reges, & Vates divino Numinе pleni,  
Atq; Sacerdotes, queis credita cura sacrorum.  
Eminet hic Moses, Iosuas, Samuelq; Propheta,  
Qui doctas coluere domos: hic justus Elias  
Elucet, qui discipulum sibi rura colentem  
Iungit Elisaum donatum munere pallæ.  
Hic mox ingressus vestigia fida Magistri  
Sacra Lycæa parans, veterum monumenta laborum  
Exhibit, Isacias quæ cernit Bethelis aras,  
Et jucunda patet spaciois Gilgalis arvis:  
Mille ubi eum pueri, mille & pietatis & artis  
Cultores, ubi mille viri mirantur, & equis  
Attendunt animis, pendentesq; docentis ab ore.  
Elucent Rex Isaides, Sapientia Prolis;  
Atq; Ezechias, qui evertit fana Deastrum.  
Iam quisnam tacitum Te Constantine relinquat?  
Quis Te prætereat Germanæ Carole gentis  
Gloria? quisve DEI signantem nomine donum?  
Extraxuere ædes qui præter Templa Camenis,  
Iusta laboriferis tribuentes otia Musis,  
Et pariter tantis stipendia digna Monarchis.  
Heroas verè eximios & laude ferendos  
Perpetuâ! augusti quos celo in culmine honoris  
Artes amplecti haud piguit, Musasq; fovere.  
Hunc illis animum communis cura salutis  
Addidit: hæc auxit studium non segne bonorum;  
Plurima viderunt Orbi qua ferre Lycæa.

A 3

Et

Et monstrat liquidò verum experientia testis:  
Cum floret Schola, cum dominantur Palladis artes;  
Augescit pleno decorata Ecclesia flore,  
Libera Religio cœli se nubibus infert.  
At Schola quando ruit fatali impulsa ruinâ,  
Exceduntq; adytis Musæ, populosq; relinguunt:  
Illa simul sumptu nigritanti ueste laborat,  
Et paſsim densis jacet obscurata tenebris.  
Novit id à magno qui traxit nomen Iulo,  
Christ-Ianæ fidei desertor, Apostata dictus.  
Hic vulpem assumpsit, non sufficienle leone:  
Edictoq; gravi vetuit, quasunq; patebant  
Imperij fines; ne C H R I S T I sacra professos  
Suscipere, studiisq; bonis formaret alumnos  
Ingenuas tractans Musarum in sedibus artes;  
Clamans, esse nefas ingens & morte piandum:  
Gentiles propriis pennis telisq; feriri.  
Hac sese exitium ratione afferre putabat  
Doctrina vera: si C H R I S T O addicta juventus  
Humanæ Sophia non docta fideliter artes,  
Mentibus imbiberet doctrina semina justæ,  
Ut dignè posset majorum munere fungi.

Quamvis eloquio facundum Nestora vincas,  
Haud tamen efficies dicendo: ut Damonis iram  
Esse rear vanam. Cum sede movere laborat  
Arces Aonidum; C H R I S T I pia verba professis  
Exitium tentat gravis importare supremum,  
Lumine postremi secl'i testante LUTHERO:  
„Accrescente Choro feliciter omnia cedunt:  
„Incorrupta manet sinceri Ecclesia cœtus:  
„Sunt Ecclesiæ discentes maxima origo;  
„Servatur propter sanctam Schola pura Sareptam:  
„Per Musas Ecclesiolum conservat IOVA:  
„Conservant Ecclesiolum pri numina Phæbi:

Nil

Nil splendoris habent, nil pompe, nilq; triumphi:  
Sed præstant Templis ingentia commoda Ludi.  
Copula sic solvi nequit: & sic altera semper  
Poscit opem alterius, nexuq; aptatur amico.

Sed juvat ulterius sacris procedere missis,  
Et frenos memorare graves, regimenq; Potentum,  
Quod Schola honoravit, quod Numen Palladis aqua  
Suspiciens fecit famâ super aethera notum.

Unde sed incipiat tanti mihi carminis ordo?  
Quidve feram primùm? Subsellia celsa Senatus,  
Consulis augusti fasces validaq; secures;  
Magnaq; nobilium simul ornamenta Virorum,  
Clarorum gravitas, & pompa superba Baronum,  
Atq; decus Comitum pralustre, Ducumq; potestas,  
Et trabeæ Regum, terrasq; virosq; regentum,  
Cæsareae Majestatis quoq; splendor & ipse  
Pieridas semper summâ defendit opum vi.

Rex fuit Assyria toto celeberrimus orbe  
Imperio atq; armis: cui pars in nomine prima  
Dicta fuit Nebo simulachri à Numinе ficto.  
Hic bellum indixit genitis de sanguine Iude:  
Invictumq; prius populum parere coëgit.

Ergo illi postquam annuerat victoria Martem,  
Ingrediens curru latos imitante triumphos  
Ad consultores fidos sic farier infit:  
Ipse ego Chaldaum Rex atq; Monarcha salutor:  
Atq; mea varia terra ditione tenentur:  
Sed mea quis fructus per sceptra redundat in illas?  
Ut quas non solum defendit militis hasta:  
Verum & custodit stylus & scriptoria penna.  
Militibus bello, rigidis & dextera pugnis  
Utilis: ingenium est nec non Sapientia doctis:  
Illi vim sine mente gerunt, his cura futuri est:  
Illi propugnant, cum doctis tempora pugnae

Eligo non temere: tantum illi corpore possunt,  
Isti animo: quanto, puppim qui temperat, anteit  
Remos tractantem: quanto Dux milite major,  
Illos hi tantum superant: in corpore docto  
Pectora sunt majora manu, vigor omnis in illis.  
Ergo bonas artes & Musica castra fovebo  
Relligionis amans, dum spiritus hos reget artus.  
Dixit: praesentesq; omnes simul ore fremebant.  
Sed quia non doctos profert nemus arbore natos,  
Nec gignunt eosdem saxa, aut Marpesia cantes,  
Nec parat e ligno cœlo statuarius ullo:  
En media inveniens Rector rectissima: præbent  
Quæ verè doctos non nudo nomine, sed re:  
Cætibus erexit Clariis præclara Lycea,  
Extemploq; gravem fulvi vim contulit auri;  
Vim, quæ subsidio discentibus esset egenis:  
Quamlibet istorum foret undiq; maxima turba.  
Quo tamen è numero, qui volvunt jura verenda,  
Ante alias sumptu nutritiri divite jussit.  
Nimirum doctis Respublica semper alumnis  
Prædita sat firmas ut haberet deinde columnas.  
Nec verò Regem vacuis spes lusit aristis:  
Quippe impensarum quam plurima præmia cepit,  
Imperio atq; sibi Sapientum messe paratâ:  
Quod vel restatur Danielis pagina Vatis.  
O decus, o nunquam satis enarrabile factum!  
,, Prima Scholæ ducibus sit cura, salusq; iuventa:  
,, Urbes si cupiant salvias, & regna beata.  
Sed neq; quem supra memoravi, indictus abibit  
Carolus ille potens armis victoribus orbis,  
Aequandus Superis, & clarus fortibus ausis.  
Ad quem, non sine mente reor, sine Numinis Dio,  
Doctrinâ geminos præstantes Scotia dives  
Misit: qui Regi ferrent gratantia verba.

Fert

Fert ad Casareas præpes quis nuncius aures,  
Advenisse viros portantes munera Regi.  
Tectum augustum ingens, centum sublime columnis  
Turrigerâ urbe fuit, priscom regia Regum.  
Carolus hic solio medius consedit in alto,  
Ignotosq; viros ad sese in tecta vocavit,  
Et prior ingressis cupido isthac edidit ore:  
Dicite vera viri, peregrinâ sede profecti,  
Quid petitis? quisnam vos per vadaturgida vexis?  
Sive errore via, sive acti Numine IOV AE  
Nostras intrâstis sedes, augustaq; tecta.  
Dixerat: ast primus dictâ sic voce securus:  
Carole, Rex Orbis terrarum, haud fluctibus actos  
Tempestas vestris succedere compulit oris:  
Sed fato han omnes animis constantibus urbem  
Afferimur, Tibi portantes Sophiae inclyta dona.  
Rex admiratus sermonem: talibus infit:  
Hec Mihi nil poterit dono jucundius esse:  
Dicite vos ergo verborum ambage remotâ;  
Qua vis promissi, qua sit sententia doni.  
Tunc illi: fando nostras pervenit ad aures,  
Te Ludi doctis, artisq; carere Palæstris.  
Hanc proper cansam sedes accessimus istas:  
Vult aperire Tibi Ludos industria nostra,  
Atq; Tua Majestatis consulta juvare.  
Agnovit studium magni clementia Regis,  
Tentavitq; ipsis meritas persolvere grates.  
Nulla mora, ex magni mandato Casario, ORTUS  
Se primo tollens Schola paulatim alius effert:  
Assurgit roseo veluti, Schola, Lucifer astro,  
Quam servat regni Gallorum urbs nobilis ampli.  
Hic Te commemorant, Procerum stipante catervâ,  
Sapius Aonidum Musarum tecta subisse  
Carole, & attentas tribuisse docentibus aures:

Sape

Sape & progressus exploravisse juventia:  
Et dextrā gnavos pueros, quos miserat Irus,  
At stolidam Crāsi sobolem statuisse sinistrā:  
Et blandē dextrā sic compellāsse locatos:  
Gratia debetur vobis Mea pignora: Nempe  
Iussa secuti avidē Vestri vos Casaris estis:  
Huc vos, hic prompte mentes advertite & aures,  
Nemo ex hoc numero Mibi non donatus abibit:  
Pergite quoque cœpistis, sic itur ad astra.  
Vos augusta manent Mystarum munera Templi:  
Consilij vos participes Mea nutriet aula:  
Vos celsa Procerum Mea cura in parte locabit:  
Talibus exactis sermone exinde severo  
Ad lavam positis vultum obvertisse minacem:  
Cedite degeneres, procul hinc procul este protervi,  
Ordine compositio vos belli crine puelli:  
Qui confisi opibus vestrorum & stirpe parentum;  
Sprevistis Regis tam jussa severa potentis,  
Nec profecistis vel re vel nomine dignum.  
Conscia testor Ego Supremi Numinis JOVÆ:  
Quod, nisi vos studii capiat ferventior ardor,  
Gratia nulla adeò à Nobis speranda sit unquam,  
Sed metuenda acres hinc usq; ad funera pæna.  
Salvete illustres animæ, Regesq; potentes;  
Semper honos vester, nomenq; decusq; manebit:  
Dum Ludi in terris, Musæq; artesq; vigebunt.  
Dicite jam commissa domus queis cura regendas,  
Quanam laudatæ maneat vos gloria prolis?  
Quæ servi frugi; quæ spes non falsa bonorum  
Augendi cumulum, servandi aut parva facultas?  
Artibus erudiit si vos schola nulla, nec ullo  
Doctrina iunxit succo, studioq; polivit.  
Quo pacto scitè tractabit herilia frena?  
Es cum prole reget famulorum providus agmen?

Quem

Quem nunquam proprij frenare incendia cordis  
Edocuit Pallas, monitusq; fidelibus ipsum  
Aures atq; animos docuit prabere patentes.  
Quānam quid rectum, justumq; quid utile, quid non,  
Cum fructu sibi subjectos ratione docebit,  
Præscribetq; aliis? quod non intelligit ipse,  
Quis bona tractabit dextrè sua, & ordine justo  
Prudens disponet? solam qui hanc noverit artem  
(Ut reliquas racciam) numeros que digeris: omnis  
Vita hominum quibus, & jugis rerum indiges usus  
Non minus: ac ipso Cereali munere, & almi  
Lumine, quo mundi lustratur machina, Solis.

Atq; ita mille parat magno Schola commoda mundoz  
Seu videoas sacri mysteria maxima verbi:  
Publica seu spæctes gravium molimina rerum:  
Seu privata aquâ perpendas munia lance.

Nunc ergo, o latâ gaudentes prole parentes,  
Pignora vestra alacres in Musica mittite castra:  
Ut præter Sophia, & studiorum clementia bonorum  
Salvifica doctrina in eis accessio fiat  
Quotidie; evadantq; TONANTIS idonea vasas:  
Ne fera barbaries in nostras irruat oras,  
Servitio quassans terrarum regna nefando.

At tu chare puer, fidi spes magna parentis,  
Rumpe moras, prabe faciles hortantibus aures;  
Oriaq; aversans pubentis inertia vite  
Palladia socium optanti te junge catervæ.  
Tâm quanto licitum est nism, studio atq; labore  
Disce, & qua discis, memori sub corde repone;  
Discentem comitantur opes, comitantur honores.  
O vacuum pudeat remanere: hoc vincere tenta,  
Et tantum prohibere nefas: cui sorte benignâ  
E meliore luto Titan præcordia finxit.

Nunc

Nunc ad TE mentem, nunc verba precantia flecto,  
O aeterni DEUS: nam TE mortalia tangunt.  
Iura, Magistratumq; gravem, Sanctumq; Senatum  
Serva, quo doctas studiosè provehas artes,  
Consular & patriæ, & subjectis civibus apte,  
Commoda consiliis procurans publica justis.  
Protege Doctores, nostri pia fulera Lycéi,  
Institiae erudiant ut sanctæ admunera multos.  
Artibus hospitia ingenuis tranquilla ministra:  
Salvifico verbo resonantia Templa tuere.  
Aspicito puerile agmen, turbamq; pusillam,  
Quæ TE prosequitur justo, cœn debet, honore:  
Hanc quoniam ad TE voce jubes accedere blandâ,  
Assere tutelâ, bone CHRISTE, fideq; paternâ.  
Tu gregis imbellis sis Dux fidusq; Patronus:  
Tu mancas quovis supremus tempore Doctor:  
Ut TIBI cœlesti palmes plantetur in horto,  
Floreat atq; DEO viventi vinea grata.  
Bellonam immani grassantem cæde coerces:  
Extremasq; procul vasti pelle Orbis in Oras:  
Quodq; potes solus, redde aurea tempora pacis.  
Sic TE cum Patre cœlesti, & Spiramine Sancto  
Dicemus semper per fine carentia fœsta.

F I N I S.

SOLI DEO GLORIA.



Oberlausitzische Bibl. Görlitz



1005335 5